

1
6
516






Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.516/a

Quod optimus Medicus debeat esse Chirurgus.

ORATIO,

Habita in Archi-Lycæo Patauino, die 19. Nouembris, 1681.

A CAROLO PATINO,

EQVITE D. MARCI, DOCT. MEDICO PARIS.

Primario Chirurgiæ Professore.



PATAVII, MDCLXXXI.

Typis Io: Baptistæ Pasquati. Super. Perm.

Illustrissimo & Excellentissimo D.

D. HIERONYMO BASADONNA,

SENATORI AMPLISSIMO, ACADEMIÆ PATAVINÆ MODERATORI,

CAROLVS PATINVS.



Vrtiuè gratias agere mihi viderer, Illustrissime & Excellentissime Vir, quin & in angulo & ad aurem, vt ait Seneca, nisi palam Auditoribus meis, litterariæque R. P. quantum Tibi debeam exponerem. Serenissimus Princeps me, juxta III. Virorum academiam Moderantium decretum, in primarium Chirurgiæ Professorem assumpsit: Tu vnus ex illis nominatum me atque ita commendatum volueras, vt ex omnium consensu ea prouincia mihi committeretur. Tibi itaque maximè, Excellentissimis DD. Moderatoribus, ac vniuerso Senatui Veneto ampliatos honores, adauctumque stipendium me debere profiteor. Quamuis autem id beneficium in me solum collocatum esse videatur, duplex ab eo exortum iri conijcio; scilicet vt pluribus Europæ litteratis excitamentum euadat, tam justo, tam benigno, tamque magnifico Principi sua studia suosque labores consecrare; deinde vt Professoribus collegis meis, idem sit incitamento, egregiè vt solent, imò & alacriùs pergere, honorificis in officijs sibi a Serenissima R. P. commissis. Mihi verò de Te tantis de causis cogitanti, venit in mentem illud D. Augustini; Quid melius & animo geramus & ore promamus & calamo explanemus, quam Deo gratias? Hoc nil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest: Gratias quippe Deo agere possumus, referre non possumus. *Innatæ moderationi Tuæ vim vllam inferri hac comparatione non existimes, Vir optime, pro Dijs enim habendos eße qui benefaciunt suadent & Cato, & bonus ingenui cujusque Genius. Immensis tuis in me promeritis hoc in præsentiarum adde, vt serena fronte, chartaceum hoc munusculum purpurato nomine tuo insignitum, excipias.*

Quæ mihi præstiteris, memini, semperque tenebo.

Deus Te, Cardinalemque Petrum fratrem tuum, Ecclesiæ, Reipublicæ, Academiæque nostræ diutissimè seruet.

E Musæo Patauino, prid. Id. Nou. MDCLXXXI.

Illustrissime ac Generosissime Pro-Scyndice, Patres Sapientissimi, Auditores beneuoli.



PLerisque Medicis accidere solet quod Athletis exprobrat Galenus, victoriam in Olympicis summè cupientibus, neque tamen ad ipsam obtinendam necessaria præstantibus. Quis enim Medicorum est, inquit, qui Hippocratem non laudet, quique illum vt summum artis dictatorem non veneretur? paucissimis porrò illum imitantibus aut imitari contendentibus. Prauam hominum educationem, lucrum virtuti, fallacesque voluptates honestis laboribus anteponentium, tanti mali causam esse Galenus opinatur, a quo nullus ampliùs Phidias inter statuarios excellit, nullus Apelles inter pictores, nullus Hippocrates inter Medicos: Ad id apprimè reuocanda sunt Dictatoris verba, *in lege*, Ἰατροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί: Medici, nomine quidem multi, re verò & opere paucissimi existunt. Quot insani quæso, turpi φιλαργυρίᾳ atque libidini seruientes, neglectis studijs ad hominum salutem conducentibus, artem exercent quam vix intelligunt? Quàm pauci sunt ab opposito, qui diuinæ artis medicæ consummationem ambiant, sibi alijsque sanctè profuturi? In his familiam meritò ducit diuinus noster Senex, qui non præceptis solùm & dogmatibus innumeris quid sectandum vitandumque sit, non fucatam hujus artis scientiam affectantibus ostendit, sed & exemplo suo totaque vita ad memoriam futuri temporis, & imitationem posterorum, sempiterna sua cum laude declarauit: Regum Regi Artaxerxi, vt Græcorum hosti, operam recusando; Perdicam Macedoniæ Regem industriè curando; pauperes strenuè visitando; Illyrios ab inuadente peste liberando, Græciamque præseruando; Filios suos, generum, aliosque discipulos, medicos probè instructos, tanquam Imperator Duces, huc & illuc mittendo; regionum situm & naturam indagando, aquarum & aëris temperiem inuestigando; Solis astrorumque vires, quatenus humani corporis valetudinem immutant, perpendendo; paucis omnia complectar, vniuerso generi humano, Numinis instar, benefaciendo. Hæc certè vt Hippocratem summum Medicum fuisse demonstrant, probant eadem & summum Philosophum; id eleganter explicante Galeno, eo in libello cui titulus est, *Quod optimus medicus sit idem & philosophus*, ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος. Sepositis ejusmodi argumentis, ea declarare in præsentiarum constitui quæ præstantem Medicum eundem Chirurgum esse debere comprobent. Rem sane perdifficilem, si delicatis hominum moribus attendatis,

31

tendatis, à laboribus abhorrentium, artemque quasi sibi infusam profitentium; qui nulla ferè animi ratione habita, in corporis voluptatibus ignauoque otio summam felicitatem constituunt. Animet me porrò Pergameni Herŏis imitamentum, solitaque faueat vestra benignitas, Auditores humanissimi, & id quod in gratiam nobilium quos intueor Studiosorum mihi proposui, ritè consequuturum spero.

Medicinam constat duplici beneficio homines afficere, & cùm sanos præseruat & cùm ægrotantes liberat: Constat deinde vtrumque officium præceptis indicari, a natura primùm eductis, longo deinde rerum vsu confirmatis atque perfectis. Artem ideo in θεωρητικὴν & πρακτικὴν diuidere placuit, hac ad opus in indiuiduis reuocante quæ prior sola speculatione circa sanandos homines vniuersaliter statuerat. Medicos tanto labori sustinendo impares subleuauit prudentissima officiorum diuisio, adeo vt alij circa sanitatem tuendam restituendamque nudè philosopharentur, alij manus operi admouerent, alij denique medicamentis præparandis, cibis coquendis, vilioribusquè ministerijs, naturæ lapsum pro viribus sufflaminarent; omnibus ex nutu Medici ad hominum salutem miro consortio dispositis. Commemorat Herodotus, *in Euterpe*, Hippocratis coætaneus, Ægyptios singulis suis morbis membris-ve peculiares præfecisse medicos, quibusdam caput curantibus, alijs oculos, alijs ventres. Itaque in subsidium Medicorum acciti sunt Chirurgi quos communi nomine *Medicos* ἰατρούς cum antiquis scriptoribus nuncupare nil vetat; ipsis præcipuè cùm docta accessit industria quæ illos χαριέντας commendet, cujusque maximè beneficio, corpus humanum suis priuilegijs, integra scilicet sanitate, summo naturæ bono fruatur & gaudeat. Hanc autem ipsam industriam Chirurgis ita communicatam esse intelligo, vt à Medicis nunquam aut derelicta aut intermissa aut spreta veniat, neque hos operi minùs intentos esse debere, quàm si sananda membra proprijs manibus conjungenda, secanda, vrendaque forent. Id abundè probatum mihi persuasero, cùm Chirurgiæ præstantiam, vtilitatem atque nobilitatem vestris oculis subjectam exposuero.

Vt hominum nobilitas eadem ac Majorum claritas, ab Aristotele traditur, sic artium nobilitas ab antiquitate, operis dignitate & artificis virtute deriuatur. Quid autem Chirurgia antiquius? quid ad humani corporis salutem accomodatius? quid liberali ingenio dignius? Vetustissimæ historiæ Machaonem celebrant Æsculapij filium, Medicum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, qui Regem Agamemnonem ad bellum Trojanum properantem sequutus, amplissimam suis commilitonibus operam præstitit, vulnera obligando, illaque ferro & medicamentis

curando:

curando : Sagittas Menelao Regi inflictas mira dexteritate illum detraxisse autor est Homerus , Ἰούς τ' ἐκτάμεειν , ἐπι τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν. Vulnera contemplatum , sanguinem expressisse , siceaque medicamina inspersisse , summi Chirurgi elogium hic suæ industria meritum ; Cujus deinde ἀξιόματα vulgauit Hippocrates *de vlcer.* Vlcera quælibet humectare non oportet : Ελκεα ξύμπαντα οὐ χρὴ τέγγειν, Vlceris enim exsiccatio sanatio est. Ὀυ χρὴ ἐμπλάσσειν τὰ φάρμακα πρὶν ἂν πανυ ξηρὸν ποιήσης τὸ ἕλκος. Vetustissimam medicinæ partem esse Chirurgiam censuit Plato , *l. 3. Polit.* quam vt vtilissimam suæ Reipublicæ admisit ; Diætam verò vt solius quæstus gratiâ excogitatam repudiauit , humanam huic assignans originem , illi diuinam . Eusthatius , *ad Iliad. δ.* Chirurgiæ antiquitatem alio argumento sibi vindicat : Cùm enim , inquit , optima victus ratione vterentur prisci , pancraticè valebant , nisi morbis extrinsecus violenterque inflictis afficerentur . Galenus noster , *ad Thrasibulum* , nullam fuisse primis temporibus victus ordinandi artem asserit , neque illa medicinæ parte vsos veteres , quòd nullis indulgerent cupiditatibus , summèque temperantes essent . Quot parasangis inferiorem recentioremque dicemus φαρμακίαν alteram Chirurgiæ sororem , quæ nonnisi longo temporum tractu , dubioque admodum euentu in Medicinæ partes seu filias admissa & cooptata est . In illarum gratiam non erit obijcienda Chirurgiæ sæuitia, quam sæpe comitetur dolor , ab vstione sectione-ve inseparablis : Litem a sacro codice, *prou. 27.* diremptam omnes intelligant , *Meliora sunt vulnera diligentis , quàm oscula odientis.* Chirurgos itaque vt antiquissimos Naturæ Sapientiæque ministros omni honore dignos censeamus . Optimum quemcunque arbitratur Vell. Paterculus esse nobilissimum ; quod olim scripserat Comicus Menander , Ἀνὴρ ἄριστος οὐκ ἂν ἔιη δυσγενής.

Absint itaque fumosæ imagines superbaque stemmata , nisi gloriam a majoribus partam generositas virtusque suffulciant . Erudita qualibet arte claros pro nobilibus ducamus , quibus vt terræ filios opponamus ignaua quælibet pectora licet ab Heröibus prognata :

Nobilis est solus virtute insignis & arte.

Sed ad Chirurgiæ vtilitatem accedamus , quam cominus perspexerit qui sola ejus objecta numerauerit : Quot , quæso , vulnerum modi ? Quot vlcerum differentiæ ? Luxationum & fracturarum varietatem , adeo immensa est , quis obseruauit ? His addamus innumeros tumores præter naturam , sinceros compositosve , quibus vt plurimùm solius Naturæ ope incurabilibus , sola ars Chirurgica , tanquam Deus è machina Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς tutò citòque medetur . Febres doloresque

que nonnunquam soluit benigna parens, Φύσις τῶν νουσῶν ἰατρὸς, inquit Hippocrates, *l.* 1. *ἐπιδ.* at supramemoratos morbos sanandos sibi soli seruat Chirurgia, nulla prorsus alia arte attingendos. Quid antecedentibus omnium morborum causis obstat, plethoræ & cacochymiæ, præter frequentissimam venarum sectionem, quam ideo princeps remedium & ἡγεμονικὸν, medicinæ Proceres nuncupauere? Quid vltrò memorauero mirabilem dentium euulsionem, sæuissimis finiendis doloribus, ab Æsculapio tertio adinuentam, teste Cicerone, *l.* 3. *de nat. Deor.* Neruorum curationem à Galeno excogitatam comprobatamque recensent qui ejus vitam scripserunt. Veterum inuentis Parisienses Medici ipsorum tendinum suitionem addiderunt, quam feliciter perfici frequens me docuit experientia. Extractio calculi è vesica tantæ vtilitatis est, vt morituro inter cruciatus homini nullum sit aliud præsidium, sæuitiam operis leniente excusanteque necessitate: Iam enim diu est a quo sapientiores medici λιθοντριπτικοῖς valedixerunt, solo nomine retento, quod imperitis agyrtisue obijcerent. Quid de paracenthesi dicam, ducendis hydropicorum aquis? Quos olim ad ruptionem tumidos tota Medicorum familia seruare nequibat, vna acus eaque exigua feliciter liberat. Notum jam vbicumque remedium, cujus gratiam *D. Thouvenot* Gallo Sabaudiæ Ducum peritissimo Chirurgo acceptam refert totus orbis litteratus. Horum miraculorum messem amplissimam vobis exponerem, Diligentissimi Philiatri, nisi eandem in sequentibus exercitationibus sedulò examinandam mihi proponerem. Nunc apertè pronuntiare liceat, non minorem Chirurgis deberi gloriam, quam olim Thracum Regi Zamolxidi decreuit antiquitas, qui ἀπαθανατίζειν perhibebatur: Hi quippe suis operibus, veriùs ac ille suis præceptis, immortalitatem condonare videntur.

Artium præstantissimam cùm docuit Hippocrates esse medicinam, quid vetat de Chirurgia interpretari, manifestè tutòque supra Diætam aut Pharmaciam sanante. Obscura sunt illius præcepta, nec vlli probè satis cognita: hæc periculis plenissima est, quæ nonnisi experimentis innumeris, adeoque fallæ interpretationi obnoxijs innititur, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, vtraque juxta Plinium, inconstantissima. Chirurgiæ soli ex medicinæ filiabus adstipulantur oculi, manus & ingenium, quorum erudita industriaque concordia salutifero operi absolutè necessaria est. Maximus deinde præstantiæ fructus accipitur, inquit Romanorum eloquentissimus, *de amicit.* 62. quum in proximquemque confertur, quo certè Chirurgicam artem a nulla alia superari nemo inficiabitur. Hinc Hippocratem maximè laudat Celsus, non modò quod medicinæ Parens exstiterit, aut vir fuerit arte &

facundia clarissimus, sed quòd manu curare calluerit, & Chirurgiam supra quoslibet excoluerit. Non aliter Galenum ad apicem gloriæ peruenisse existimant, quàm Chirurgicorum operum administratione; quippe qui juvenis XXIX annorum, oblatam a Pontifice Max. gladiatorum curationem tanta felicitate suscepit, vt nemo ante ipsum rariora viderit funera: Atque cùm παραδοξόλογος & παραδοξοποιός appellaretur, M. Aurelij Imp. archiater renuntiatus, ipsi augustæque ejus vxori Faustinæ gratissimus, postmodum omni laudum genere dignissimus, referente Eusebio, *hist. eccles. l.* 5. pro Deo cultus fuerit. Præstantes ergo salutem hominum procurantes Chirurgos celebremus, & verè Sisyphos: Hoc quippe nomine prædicat Eusthatius, *ad iliad.* ζ. qui Mortem a Ioue seu fato immissam ligau't, & ita coërcuit, vt nullus mortalium tunc temporis periret. Quidni & Hercules nuncuparemus strenuos tot morborum seu monstrorum debellatores, qui Heröis illius instar continuò luctari continuòque vincere non intermittunt, agere & pati fortia non desinunt. Chirurgiæ præstantiam asserunt præterea tot illustria capita quorum contactum morbos propulsasse fama est. Missis Pelopis aliorumque facinoribus fabulam redolentibus, Pyrrhum ex Plutarcho commemorare liceat, sola lienis compressione jacentes curantem. Imp. Vespasianum refert Suetonius, *cap.* 7. oculis captum, debilemque crure, sputo adhibito sanásse. At cur Veterum historijs inhæreo? nonne constat sacro Regum Christianissimorum contactu strumosos liberari? Ipsi Hispani apud quos strumæ populares sunt, ἐνδήμιαι, id palam publicèque confitentur, vndiquaque Parisios ad salubrem illam manuum operam confluentes, quas verè Θεῶν χεῖρες Deorum manus experiuntur. Sed quod omnia superat, Christus Seruator noster, nonne verbo atque contactu infirmitates sustulit? Quo certè Medicinam Chirurgiamque summa decorari præstantia concluditur, quarum opera Deus ipse non dedignatus est.

Sed incautus quid dixi, quid in vestram mentem reuocaui, Benignissimi Auditores, cùm Chirurgiæ laudes, splendorem & encomia vobis exposui, quibus sustinendis imparem me prorsus sentio? Frontem adeo duram Natura non concessit quam rubore non perfundat præstantissimorum virorum series in quam cooptor.

Non adeo nostro fugit ab ore pudor.

Dij immortales! quanto stupore opprimor cùm tenuitatis meæ valde memorem me percellant tantorum virorum nomina, Petri Mainardi, Andreæ Vesalij, Realdi Columbi, Gabrielis Fallopij, Hier. Fabricij ab Aquapendente, Iulij Casserij Placentini, Adriani Spigelij, Ioannis Veslingij, Petri Marcheti, Antonij Molineti: nomina inquam am-

plissima,

plissima ; vt Serenissimæ Reipublicæ sic & litterariæ æternùm gratissima. Quibus & Dominicum de Marchetis attexerem, nisi virtutis eruditæ famam ipse vivus industriè sustineret.

Furentibus maris procellis volentem se commisisse Pompeium Magnum, Senatus imperio magis quàm propriæ saluti attentum refert Plutarchus: Monentibusque amicis satius fore leui temporis dispendio nimborum turbinumque pericula vitare, majore animo respondisse, *Nauigare necesse est, viuere non est necesse*: Πλεῖν ἀνάγκη, ζῆν οὐκ ἀνάγκη. Mihi vastum Chirurgiæ pelagus subeunti, Pompeij verba imitari liceat, *Seruire neceße est, viuere non est*. Serenissimo Principi placuit honorificam hanc sedem a me occupari, quam etsi nec postulatam aut ambitam, abnuere crimini quisque duceret; Illi Deus dedit imperium, mihi obsequij gloria relicta est. Nec me satis juvat eodem officij genere jam a quinque lustris functum fuisse, tyronesque Chirurgos per aliquot annos in orbis appendice Lutetia docuisse, cùm pudorem meum hæc potiùs renouent quàm deleant. Vos videritis, Illustrissimi & Excellentissimi academiæ Moderatores, quorum soli beneficentiæ hos honores me debere profiteor. Non ita me occæcat φιλαυτία, vt quidquam de Vobis meritum me existimem; merendi porro spe ducor amplissima, cùm vos publico bono nati, tanta dignatione formandis Medicinæ & Chirurgiæ studiosis præponendum me decreuistis. Interim cùm nihil tam æqualiter in omnium animos receptum sit, quàm benemeritis gratiam agere, æquo animo patiamini hoc meum erga Vos venerationis testimonium. Notum equidem mihi est, quòd Vobis æqualem beneficio gratiam nunquam referre potero, illud certè non desinam palam & vbique confiteri, me referre non posse.

Perpendenti deinde mihi quot & quantos viros hoc in suggesto dicentem me audientes video, vereor qualemcumque ingrati animi notam subire, cùm nequidem quantum illis debeam explicare possim. Non perdidistis tamen beneficium, Auditores optimi, si tantæ vestræ patientiæ, tantique collati in me promeriti recordatio Vobis sufficiat, quam in præcordijs æternùm duraturam omnino polliceor.

DIXI.